(10.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO

JECINORISque PHYSIOLOGIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS HIGGINS,

Hibernus,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM LONDINENSIS

SOCIUS, &c. &c.

Hoc, ut potero, explicabo; nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa quæ dixero, sed ut homunculus unus e multis, probabiliora conjectura sequens. Cicero, *Tusc. Quæst.*

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

AVUNCULO SUO

GULIELMO M[c]KENNA, ARMIGERO,

PAGINAS SEQUENTES,

AMICITIÆ ET BENEFICIORUM

HAUD IMMEMOR,

SACRAS VULT

C. H.

To James Woodforde Esqr.
With the Compts. of his pri

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO

JECINORISQUE PHYSIOLOGIA.

Auctore CAROLO HIGGINS.

ANTEQUAM beneficia corporis humani post mortem inspiciendi comperta fuere, Artis Apollinaris principia fundamento valde instabili innisa fuisse oportet, et quamvis observationes acutæ, præceptaque eximia inter scripta vetustiorum inveniantur, nihilominus ob hunc scientiæ medicæ fontem adeo divitem, structuram humani corporis scilicet, neglectum, pleraque eorum commenta vaga et imaginaria, ideoque medicinæ exercitatio

prava non fuisse nequeunt. Hic tamen defectus sequelis non adeo nocivis ac primo intuitu expectari possent, originem præbuit; nulla enim causa est, cur mortalitatem iis quam nostris temporibus majorem fuisse credamus; et quoniam rationes medendi a veteribus institutæ minime morbis ævi recentioris applicari possunt, talis abnormitatis rationem, nostras constitutiones et prædispositiones ab eorum penitus distare supputando reddamus. Postquam vero Medici Philosophi suas conjecturas ad Anatomicen cum scientiis subsidiariis referre cœperunt, multum caliginis, quæ se processibus morbisque humani corporis offuderat, evanuit, iterque quod prius ob impedimenta frequentia pene invium erat, pauca tantum quæ cito superari sperentur, viatori objicit.

Igitur si ad statum medicæ scientiæ provectum respicimus, perpaucos juvenes vel etiam senes aliquid non jam antea notum tradere posse, quam clare constabit; attamen ut leges hujus Universitatis celeberrimæ unumquemque summos medicinæ honores ambientem dissertationem inauguralem perscribere jubent, etsi ingenium meum exiguum esse cognosco, parere voluntas ne-

quaquam deerit. Icterum, ut argumentum tentaminis selegi, quod nexum quam arctum cum organo habet, de cujus functione probe peracta valetudo hominis pendet et quod morbus est, de cujus pathologia variæ opiniones diversè habitæ sunt. Antequam descriptionem ejus incipiam, aliquot observationes proponam.

De Jecinore et ejus Secretione.—Situs quem jecur occupat adeo bene cunctis notus est, ut descriptionem illius inire supervacanei operis certe foret. Priusquam HARVEY, cujus memoria nunquam morietur, sanguinis circuitum demonstraverit, functio quodammodo similis ei a corde peractæ, jecinori attributa fuit; neque mirum est, homines sanguinis circuitus ignaros, tantam ejus humoris copiam ad id in fœtu progredientem videntes, locum in genere sanguifero adeo eminentem dedisse, opiniones atque eorum vim majorem ab illius magnitudine in fœtu pro rata parte ingenti, itemque quod omnium abdominis viscerum primo formatur, et inde usum aliquem præclarum ex sua creatione natura indicans, acceperunt. Etsi tamen effectus, quos in sanguinem, dum latet in utero homunculus, edat, ignoremus, tamen

id in adulto ad bilem secernendam seponi cernere licet. Quidam auctores sæculi proxime præteriti in opiniones veterum, jecur aliis præter fellis secretionem muneribus fungi autumantes, quodammodo relapsi sunt. Una ex his maxime notanda erat, venam portarum veluti quoddam receptaculum cordi inserviens et reditum sanguinis ad dextram auriculam nimis velocem impediens, siquando difficultas vel obstructio quævis transitus ejus per pulmones subesset, distentione sua accumulationem haud parvam ad eos sublevandos patiens, considerare. Hæc sententia, ex jecoribus eorum qui phthisi aliisque pulmonum morbis morte succubuerant, multum morbosis repertis, valuit, exemplumque ad rem præsentem fere recte spectans a Halle memoratur, ubi, aliquid, cui nomen Scirrhi dextri pulmonis ingentis imposuit, in cor vasaque majora impactum est, et circuitum usque eo impedivit, ut omnia abdominis viscera sanguine distenta fuerint. Hæc verba habet, " Le foie me parut beaucoup plus volumineux qu' à l'ordinaire et d'une couleur presque noire, mais sitot que j'en eut ouvert la substance, il en sortit des flocs de sang, et ainsi degorgé, il se rapprocha beaucoup de son volume naturel, et ne parut, en

aucun endroit, avoir subi aucune alteration, avoir souffert aucun engorgement:" et postea aliquanto, " J'imaginois que le foie, descendu jusqu' à l'ombilic et fort dur à toucher, etoit le siege principal du mal." Experientia hodierna tamen eas observationes minime confirmat, et affectiones jecoris tam sæpe præcedere quam sequi morbos pulmonum credere mallem. De secretione fellis jam diu et multum disputatum est. Alii ad arteriam hepaticam, alii ad venam portarum, alii vero utrisque communiter attribuunt. Qui hanc secretionem arteriæ hepaticæ rejiciunt, opinionem suam primo ex analogia deducunt. Aiunt quod, ex inæqualitate vasorum ejus cum arteriis bronchialibus, quæ pulmones nutriunt, comparatorum, plusquam hepar alere, id est, ad fellis secretionem conducere, efficere debet. Hoc argumentum autem non sustinendum videtur, donec arterias bronchiales *solas* pulmonibus nutrimentum afferre probent; multum enim est cur credamus, sanguinem arteriæ pulmonaris, ubi in arteriosum convertitur, eos nutriendum juvare: præterea, organum secernens adeo magnum ac hepar, subsidium sanguinis haud parvum requirit; copia etiam arteria hepatica advecta, non prope tanta est, quan-

to quibusdam organis, quæ non secernunt, veluti lieni, cerebro, musculis, &c. traditur. Porro, aiunt cæteras secretiones sanguine arterioso perfici, et aurium cerumen, quod ex arteriis desumi constat, in sua mistura et compositione bilem haud parum referre. Aliud horum argumentum est, ductus biliares tenui liquore infuso per arteriam hepaticam compleri posse; nemo certe est qui hoc negare audeat; at simul, multum abest, ut arteriam hepaticam bilem secernere, confirmet, vasa enim omnia sanguinem ibi vehentia ductusque biliares in hepate commeatum inter se habere cognoscimus, adeo ut, aqua per ductum hepaticum infusa, libere in venas hepaticas, et rursus, similis humor a venis ad ductum, transeat; itaque humor per arteriam injectus primo in venas, deinde in poros biliarios transmittitur. Sed exemplum ab ABERNETHY memoratum, ubi vena portarum, vice transeundi ad jecur in cavam prope emulgentia desiit, cunctusque sanguis in jecur receptus per arteriam hepaticam, quæ aliquantum ampliata videbatur, advectus est, opinioni eorum maxime favet. Hic duplicem functionem nutritionis et secretionis peragere apparebat; bilem enim secretam esse non omnino

dubitari valet, quia ea in intestinis vesicaque fellis manifeste reperta fuit. Hæc solito paulo minor erat, et fluidi flavi et amari, non vero adeo ac fel commune acris et ad nauseam amari, circa dimidium cochlearis parvi intra se continebat. Cadaver apertum infantis, prorsus bene aliti, et, ut videbatur, fere annum nati, fuit. Casus hic recensitus, etsi opinionem supradictam vehementer sustentare apparet, tamen causa mortis primario vel secundario extitisset; bilis enim inibi secreta, quamvis fortasse ad functiones infantiæ satis foret, vix ad eas ætatis provectioris peragendas suffecisset. Argumentum de hac re analogicum ex iis quorum foramen ovale post partum pervium manet deductum habemus; in talibus munera nutritionis, &c. per paucos annos, raro vero diutius, haud ita male perficiuntur.—Jam de sententiis illorum qui fellis secretionem venæ portarum attribuunt agendum est.

Hujus venæ distributio primo attentionem Anatomici sibi vindicat, nec immerito cum ramificationes suas ad cor spectantes, prorsus cæteris corporis humani venis opposita, habeat, alteramque circulationem profecto monstret. Quæstio hic oritur; cur, nisi ad bilem secernendam tan-

tum circuitum perlustrat? Quinetiam HALLER aliique eam, sanguinem ad id consilium quam optime adaptatum pervehere affirmant; is enim, si illis credimus, particulis oleaginosis a mesenterio, &c. absorptis inficitur (quod tamen physiologi recentiores negant), magisque igitur carbonii et hydrogenii in se continet, ideoque ad elementa fellis formanda eo magis idoneus evadit. BICHAT huic sententiæ non assentitus est, adipemque fluidum multum hydrogenii continens, ex sanguine arterioso secerni admonet. Proximum, quod quasi notionis argumentum proferant, experimentum est a MALPIGHI institutum, ubi arteriam hepaticam vivi animalis ligatura constrixit, neque fellis secretionem impediri invenit; BICHAT autem bene annotavit, haud multum fiduciæ, experimentis quæ tantam, ac abdominis animalis incisio, functionum vitæ turbationem afferunt, concedi debere. Equidem, etsi chemia nullum discrimen adhuc reperit, sanguinem a visceribus abdominis ad jecur translatum per venam portarum, elementa maxime ad bilis secretionem idonea continere, magnopere suspicor; et fortasse postquam huic secretioni inservierit, ea pars ejus, quæ tum commisceri cum massa circulanti gene-

rali parata est, per venas hepaticas reduci. Fel ab extremis venæ portarum vasis secerni videtur, in poros biliarios, qui invicem in ductus biliarios parvos desinunt; hi in majores, et ita deinceps, donec ductus hepaticus formetur. Rationem, qua hæc secretio perficitur, in toto ignoramus; at ab experimentis a Brodie et Wilson Philip, nuper institutis, constare videtur, vim nervosam (quam hic fluidum galvanicum esse affirmat), potestatem esse, quæ, in hac ut in cæteris aliis glandulis, in sanguinem tali modo agat, ut earum secretiones diversas præstet. Bilis ex aquæ magna quantitate, substantia mucilaginosa dotes albuminis habente, id est, alcohole acidisque mineralibus commistis coëunte; materia resinosa quæ colorem impertit, continente et gustui amara, a tinctura alcohole et bile confecta, evaporata, obtinenda, paululo sodæ puræ, salibus quibusdam, vestigioque oxidi ferri, consistit. Vestigia hydrogenii sulphureti, secundum Doctorem Hope, acido sulphurico in bilem fuso, eduntur; at hæc ex albumine decomposito oriri arbitratur. Picromel, ut opinor, nondum in felle humano, conspectum est. Powell spissitudinem bilis cysticæ auctam a sua admistura cum materia albuminosa

pendere dicit, quam a vesica fellis secerni censet; ait enim, tunicam ejus ductusque cystici internam rugis glandulisque instructam, ideoque secretioni adaptatam, ab ea hepatici distare. Exemplar a BAILLIE notatum hanc sententiam sustentare videretur, ubi materia in vesica fellis reperta albumen ovi crudi referebat, at hepar tuberculis strumosis, distinctum fuit; et hic effectus ab actione structuræ jecoris secernentis valde imperfecta pependisse putetur. Si hæc substantia in bile hepatica inventa fuisset, lis statim dijudicata foret; eam verum unquam fuisse exploratam nescio. Mutatio unica quam bilis in vesica fellis jam subire putetur, partium aquosarum absorptio est. Postea ad usum quem fel præstet animadvertam, et interea proponam

Icteri Symptomata.—Ex his præcipua sunt, flavedo oculorum, cutis, et urinæ, et hujus coloris in alvo excretis absentia; appetitus cibi defectus, nausea, vomitus, languor, et si obstructio per aliquot dies perstiterit, emaciatio ingens. Neque hic morbus, etiam antequam flavedo accedat, in ægris quibusdam multo minus certe indicatur, dolore circa stomachi regionem acuto, pulsu si-

mul non magis si non minus solito accelerato. Hic dolor autem, qui interdum intolerabilis evadit in Ictero, in aliis ad levem molestiam circa regionem hepatis tantummodo assurgit, vel etiam non omnino sentitur. Hoc forsitan partibus ductuum biliariorum diversis, quibus calculus insidere accidat, attribui potest. Multum habemus, quare jecur parvum vel nullum tactus sensum habere arbitremur; neque absimile est nihil ejus amplius ductibus biliariis pertinere; experientia tamen quotidiana quam acutum hunc sensum intestina habeant, docet. Igitur accidere potest, parum vel nihil doloris sentiri, dum calculus per ductus biliarios transit, donec ad finem perveniat; sed ea parte quæ in duodenum inseritur, extensa, intestinum calculo, magno sive angulos habente distenditur, et tantam irritationem patitur, quanta omnis doloris, qui nonnunquam morbum regium comitatur, rationem reddere sufficiat. Iste dolor raro ultra dies duos vel tres sine intermissione perstat. Quandocunque omnino sentitur, non solum ante flavedinem accedit, sed sæpe sævior, sæpe lenior est, aliquando prorsus evanescit, iterumque ingravescit, per totum Icteri aggressum. Interdum, omnibus aliis signis præsen-

tibus, etsi flavedo oculorum vel cutis desit, calculum ductibus jecinoris inesse, suspicari causa est; qui timor verus sæpe probatur calculo biliario, cum levamine symptomatum omnium, dejecto; vel post reditus morbi sine flavedine oculorum aut cutis, frequentes, aliqua ex his invasionibus Ictero denique finita; nam in talibus exemplis calculus tali figura sit, ut non aperturam perfecte impleat, vel nixus inter vomitum vehementes, aliquantum bilis inter eum et parietes ductus impellant. Rigor, qui fere aggressum Icteri comitatur, naturæ molimen, ut corpus extraneum ejiciat, esse videtur. Pruritus, at sine ulla eruptione, molestissimus in hoc morbo sæpe observatur, et cutis irritationi ab acrimonia bilis cum sanguine mistæ, plerumque tribuitur; difficile autem est dicere quare hæc vel alia causa quævis affectionem, de qua agimus, aliis molestissimam efficiat, dum contra ab aliis non omnino sentitur. Lac fœminarum Ictero laborantium et infantes ubere alentium, semenque maris, soli humores qui non ab eo tinguntur, esse apparent: A plerisque negatur, res ictericis flavas videri; hoc vero accidere humore aquoso intincto, tam verisimile puto, quam ut lachrymæ (sic enim a docto

HEBERDEN narratur), colore tingantur. Cadavere aperto omnia organa corporis bile infecta apparent; neque cerebrum, ossa aut cartilagines etiam, immunitatem habent.

Causæ Excitantes — sunt, primo, quicquid iter bilis per ductum cysticum impedit, cujus causa frequentissima calculus existit; secundo, constrictio ductus ipsius spasmodica; et tertio, pressura in ipsum a tumoribus partium adjacentium, et inde Icterus inflammationis vel amplificationis hepatis, pancreatis, &c. signum concomitans observatur. Sæpe quoque dum mulier uterum gerit, sese ostendit; necnon infantes aggreditur. Aliquando se ob bilem nimiam ostendit, cujus exemplar haberi est, in febre flava Indiæ Occidentalis, ubi et vomitus et dejectio bilis adsunt. BOERRHAAVE Icterum nonnunquam effectum esse secretionis impeditæ, sanguinemque exinde notam biliosam, cuti flavedinem impertientem retinuisse putavit,—opinio ex notione erronea, omnia fluida prius sanguinis massam inesse, glandulasque ea tantum mechanice separare, deducta. A quibusdam experimentis tamen a FOURCROY institutis, verisimile videtur, quod,

in certis conditionibus corporis morbosis, sanguis speciem biliosam adipiscatur, sine fellis absorptione vel reditu ex hepate. Cum per calorem sanguinem arteriosum bovinum cum tertia sui ponderis parte aquæ commistum coagulasset, a coagulo liquor abiit, qui cum cura evaporatus, materiam felli bovino adeo similem præbuit, ut multi nequaquam præmoniti, in ea odorem, colorem et gustum ejus humoris secreti agnoverint; et similitudo similis per analysin chemicam ostendebatur, at accuratio hujus experimenti in quæstionem protracta est, et verisimile putatum sanguinem animalis bilem in se prius habuisse, quæ per concentrationem magis apparuit non vere formata fuit. Quidam scriptores sunt, qui spasmum ductuum biliariorum fieri, et Icterum ita ciere negent; quod aiunt, spasmus ad musculos proprie pertinet, nullæ vero fibræ musculosæ in vesica fellis vel ductibus biliariis reperiri possunt; et hi distentionem mechanicam a calculis facillime patiuntur, neque se postea contrahunt; ideoque, siquando Icterus a vomitoriis acribus, vel catharticis torquentibus, colica vel hysteria, quæ omnia originem morbo præstare dicuntur, oritur, renixus adversum transitum bilis liberum vel ad

orificium ductus communis in duodeno vel inter ejus cursum per id intestinum obliquum, cujus fibræ musculosæ comprimere queant, accidit. Quinetiam affirmant, nullos stimulos mechanicos vel chemicos, nisi ii qui vi corrodente pollent, ullum in eos effectum edere, bilemque in duodenum pervehi, pressura musculorum abdominis, partiumque vicinarum; et ut hoc comprobent, nos admonent, quod, cum ventriculus et duodenum cibo repleti sunt, major fellis in hoc influat, nonne hoc vero a quodam consensu, cibi præsentia excitato oriri valeat? Illi qui ductus indolem musculosam possidere dicunt, eos, ubi calculus repertus est, in eum utrinque contractos esse asseverant; hic autem in errorem forte inciderint, nam propter ductus distentionem magnam per concretionem, tantum apparuisset utrinque contractus fuisse. Æquum, tamen, minime puto, assumere, texturam in qua nullæ fibræ musculosæ conspiciantur, nullum motum omnino habere: nullæ enim in Polypis variisque Zoophytibus videantur, alimenta nihilominus assumunt, omnesque motus ad vitam suam necessarios peragunt, itaque vesicam fellis ductusque biliarios vim, quam Parry *Tonicitatem* vocavit, possidere verisimile videtur.

Icterum, bilis in massam humorum circueuntem absorpta efficit. De modo quo hoc efficitur, duæ opiniones extant. Haller aliique dicunt, bilem in venas hepaticas sub Ictero per regurgitationem invehi in massam sanguinis universam; dum contra Hunter, Cruikshank et Monro secundus, id solum per absorptionem lymphaticorum effici contendunt. Opinio Haller nuper a Magendie revocata fuit, qui venis absorptionem omnium corporis fluidorum nisi chyli, attribuit: mihi vero experimentum cui maxime innititur, venas vim absorbentem propriam et vitalem habere, non comprobare videtur. In experimento ad quod jam animadverti, postquam canem opio sopiverat, femur a trunco dissecuit, arteria et vena tantum quæ eos in nexu tenerent relictis; deinde tubum pennæ arteriæ immisit, duabus ligaturis circumligavit, arteriamque inter eas circulo divisit; idem in vena pari modo fecit, ita ut solus commeatus quem artus cum trunco habebat, per sanguinem fieret: inde in vulnus pede patefactum venenum intromisit, quod, ut ab indiciis constabat, celeriter absorptum est. Hoc experimentum ad rem certe pertineret, si modo, venis in vulnere pedis non *patefactis* institui potuisset; hic vero in

aperto est, plurimas venas minores vulneratas esse, et ubi fluidum in tale vulnus ingeritur, imo quasi in venas *protruditur*, nullam conspicio rationem cur hæ materiam alienam accipere nollent, potiusquam vena subclaviana, quæ res alias, præter chylum, a ductu thoracico sæpe arripit. Absorptionem autem neque venis neque lymphaticis solis et separatis, sed utrisque attribuendam censeo; nam MECKEL, TIEDEMAN, et VROLYKE per injectionem ea commeatum inter se invicem habere pro certo posuere, et hic, lymphatica cum ramulis venæ portarum communicare probavit. Hinc quoque in aprico erit, bilem in massam humorum circumactam, et per lymphatica et venas hepaticas intrare posse. Ut vero hanc quæstionem omni dubio procul proponam, duo experimenta a Doctore SAUNDERS, in suo opere æstimabili memorata, citabo :—" An incision was made into the abdomen of a living dog, large enough to allow a ligature to be made on the hepatic duct: this being done, the parietes of the abdomen were brought together by sutures. Two hours after, the dog was strangled, and the parts carefully examined. On inspection, it appeared that the absorbents were very much distended with a

fluid of a bilious colour; and their course, which was very conspicuous, could be traced, with the greatest ease, to the thoracic duct, the contents of which seemed only moderately bilious. The bilious colour was, in a great measure, concealed by the red particles of blood, which had been extravasated by the injury, taken up by the absorbents, and conveyed into that canal. In the other, a second dog was procured, and a ligature made on the hepatic duct, as in the preceding one; two hours after, blood was taken from the jugular vein, and set to rest, in order that it might separate into its serum and crassamentum. The liver was then drawn down a little from the diaphragm, and blood taken from one of the hepatic veins. This, as well as the former, was allowed to separate into parts; and, on immersing pieces of white paper into the serum of each, that taken from the hepatic veins gave the deeper tinge; the other produced only a very slight degree of discoloration. The reason of this difference was, that the bile was only beginning to make its way into the circulation."

Diagnosis.—Icterus aliquando in febre flava

Indiæ Occidentalis occurrit, etsi hoc fortasse dubitari posset, propter tractus in collo flavos, qui potius actionem capillarium propriam, quam bilis præsentiam, indicare viderentur; attamen pyrexia, simul delirio et virium prostratione cita, &c. in hac, facile inter morbos discrimen faciet. In plurimis exhaustis et chloroticis, cutis fere colore citrico est, ad quem bilis nihil confert, at oculi non flavi sunt, neque urina profunde colorata, neque alvi dejectiones colore cineritio. Pulsus tardus inter doloris paroxysmum Icterum ab inflammation distinguet, dejectionesque cineritiæ ab ileo in quo vix ullæ omnino habentur.

Prognosis.—Siquando hic morbus a jecore morboso vel tumore partium vicinarum oritur, præsertim si febris, viresque gradatim imminutæ et emaciatio comitantur, raro ad sanitatem perducitur, et plerumque in ascitem desinit. Hæc sæpissime in ebriosis, et iis qui diu sub cœlo tropico degerunt, supervenit. Contra, prorsus si subito in junioribus et robustis, etiam cum dolore multo, sine febre, &c. ortus est, raro diu perstat. At si dolor vehemens adest, cum pulsu accelerato, macie, pervigilio aut singultu, prognosis valde

infausta fiet. Icterus gravidarum cum partu desinit; infantium cito purgantibus tollitur. Antequam ad curationem Icteri considerandam progrediar, paucas observationes præponam

De Munere Fellis.—Effectus bilis in chymum editi, adhuc valde obscuri sunt; verisimile tamen videtur, quod ex sua amaritudine resinosa ullas mutationes quas aliter materia animalis vel vegetabilis sponte subiret, impedire possit; et quoniam proclivitas alimenti de frugibus conflati ad acorem manifesta est, materia bilis alkalina ad eam corrigendam conducat: hoc porro magis probabile apparet, ex infusis bynes, quæ aliter cito acescerent, lupulis additis, alkalinisque remediis sæpe nimium acorem corrigentibus, ab acetosa fermentatione diu defensis; de posteriore tamen non adeo certi sumus, acor enim a glandulis ventriculi haud raro secernitur. Defectus bilis pro tempore, per amara diversa, cum rheo, &c. compensari queat. Fel potest quoque ob indolem saponaceam, naturam fæcum adhæsivam minuere, et earum superficie lævigata dejectiones promovere. Obstipationem in Ictero a defectu bilis stimuli in intestinis, oriri perspicuum est. At HEBERDEN diar-

rhœam in Ictero sæpe adesse dicit, et Dr POWELL etiam fel stimulum esse omnino negavit, namque, ait ille, scrupulus fellis bovini inspissati mea intestina ad dejectiones plures vel pleniores non stimulavit; hæc copia vero, ut opinor, minor fuit, quam quæ ad ullum effectum præstandum sufficeret; porro inspissatum non adeo facile, ac si fluidum fuisset, ut superficies latior afficeretur, suam vim ederet, fel bovinum enim, ut enema usurpatum, quando alia hujusmodi deficiunt, intestina validissime stimulare cognoscimus.

Ratio Medendi.—Curatio Icteri, in causis excitantibus removendis et symptomatis urgentibus sublevandis, ponitur. Calculi sunt causæ excitantes frequentissimæ. Multa remedia, ut hi solverentur, præscripta fuere; nulla vero laude majore quam alkalina, præsertim soda, efferuntur. Ab experimentis MAGENDIE, cunctas substantias, quæ sanguine solvi queant, prius in ventriculum receptas a venis absorberi, verum esse appareret. Porro, haud absimile est, alkalia ad jecur per venam portarum pervenire posse, et, sanguine infecto præbere copiam subsidiariam ejus principii, a cujus defectu generatio talium calculorum pen-

det; ea calculos jam formatos dissolvere magis dubium est, etsi DURANDE se nunquam in iis dissolvendis defecisse dicit, et eos ab alvo dejici forma flavæ materiæ pisa referentis, a mistura partium Ætheris Sulphurici trium, Spiritus Terebinthinæ duarum, dosis assumenda ℈ij vel ʒi quoque mane, aliquo potu emolliente, veluti sero lactis, vel jusculo vitulino, &c. præterea hausto. Dr HEBERDEN nullam fidem in solventibus adversus calculos biliarios reponit; attamen citri succum copia adeo magna, et, ut videbatur, cum tanto beneficio, ab Ictericis nonnullis devoratum cognovit, ut sibi curationis laudem vindicaret. Sub aggressione Icteri dolor primo notitiam medici invocat. Si ventriculus valde irritabilis sit, opii grana duo præcipere oportet; sin minus haustum ex ℈ij tincturæ ejus, cum Ætheris Sulphurici ʒss. Si aliqua pyrexiæ indicia adsint, sanguinis detractio necessaria fiet. Balneum calidum quoque utilissimum est. Postquam dolor sedatur, Tartras Antimonii et Potassæ adhiberi debet; ea copia tantum quæ nauseam aliquamdiu ante vomitum plenum sustineat; purgantia quoque e calomelane cum jalapa vel scammonio confecta, præcipiantur, quæ haustus infusi Colombæ cum Tinctura Rhei

vel alius amari medicamenti purgantis, recte sequetur. Siquando Icterus a morbo organico suum ortum trahit, remedia Hydrargyrus, Cicuta, Acidumque Nitrosum laudantur. Aquæ Chalybeæ cum commodo, ut vis tonusque valetudini universæ impertiantur, usurpari possunt; neque exercitatio corporis modica prætermitti debet, nihil enim magis quam vita sedentaria ad calculos biliarios formandos proclivitatem inducit.

FINIS.